



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

2. S. Antonius Archiepiscopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

324 I. Maii. SS. Philippi & Jacobi.

tes, qui mortis causa fuerunt. Ah fili! Christo, & virtuti adhæreamus unicè! Certè & ab ipsis amatimur adversariis. Nam in homine nequam nec laus, nec commendatio.

Inſtruētio meritoria.

Pro obtinendo perfecto virtutis, & Christianæ perfectionis studio tres actus modestiæ angelicæ, tres taciturnitatis, & tres temperantiæ Christianæ sedulò exerceamus, addendô Canticum: *Benedictus Dominus Deus &c.* Quid dulcius virtutis studiô, & amore?

Festum S. Antonini Archiepiscopi Florentini ex Ordine S. Dominic Florentissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

Filli! Capiamus pro anima sententiam, quam suis reliquit S. Antoninus dicens: *Qui minas mortalium timet, indignus est, ut cum martyribus coronetur in cœlis.* Coronam hanc quoties perdidimus, qui plūs hominem, quām Deum timuimus? O nimis turpe!



II. Maij. S. Antonini Archiep. 325

pem timorem, qui & longè terribilio-
rem accerset in vita altera.

Instructio meritoria.

Respectus humanus cui non nocuit?
Ut radicis nostris evellamus ex cordi-
bus, per unum mensem integrum con-
tra hoc immane, & omni statui adeò
commune vitium instituamus, quotidie
à manè offerentes pro felici liberatione
tres salutationes Angelicas, cum tessera:
Libera me de sanguinibus. Timor non
hominis, sed Domini est initium sapien-
tiæ.

II.

S. Antoninus stetit defensor Mariani
Nominis acerrimus. Hinc hæreti-
cum in Mariam blasphemum adjudica-
vit igni comburendum. Nondum, ô
fili! sublati sunt tantæ Matris inimici.
Nos ore, calamô, & opere honoremus.
Qui enim elucidant me, finem habe-
bunt, qui & initium erit consummatæ
felicitatis, & lætitiae. Huc! huc! cum
desideriis nostris!

Instructio meritoria.

In satisfactionem omnium blasphe-

O 7

mia-

326 II. Maij. S. Antonini Archiep.

miarum, irreverentiarum, & contumeliarum, quas unquam sustinuit Deipara recitemus *Cursum Marianum*. Et si tempus suppetat, continuemus per octiduum, cordique Mariæ commendemus conversionem omnium impiorum. Quid deliquit Maria, quod multis sit in odio?

III.

Filli! S. Antoninus quomodo moritur? Ut servus Christi, & Mariæ. Hinc illa ò quām notabilia ultimò decitantis verba: *Servire Deo, regnare est.* Quin, dum videt & Mariam: Eam salutans exclamat: *Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efforam?* Sic dixit, & obiit. O quām dulcis, quām suavis mors clientum, & filiorum Mariæ! Est hæc fors in manibus nostris. Nunquid abjiciemus?

Instructio meritoria.

Ut teneamus, & ultima morientium nostrūm sint verba: *Iesus, & Maria.* Hodie officium de Immaculata Conceptione; cras verò officium de Nomine Jesu offeramus cum filiali affectu sàpius repe-

repetendo: *Jesu! & Maria!* in vestras manus commendo sensus, corpus, & animam meam. Si Jesus, & Maria pro nobis: quis contrà nos? Umbra Petri quid non potuit? Plus poterit cantorum invocatio Nominum.

Inventio Sacræ, & Triumpha- lis Crucis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecce Crucem Domini! hoc signum erit in cœlo, cum Dominus venierit ad judicandum, quis non trepidabit? Trepidabunt verò illi potissimum, qui sequi noluerunt Christum usque ad mortem Crucis. Fili! Crucifixi in schola strenui semper vivamus discipuli! Præcepta ejus facilia sunt; præmia verò quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

Instructio meritoria.

Ut igitur triumphemus in hoc signo super partes adversas, & quondam cum Crucifixo Jesu æternum gaudeamus in cœlis, recitemus tria Cantica ex hodierno Matutino, & ad imagines Crucifixi genu-